



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Assertio Septem Sacramentorum Aduersus Mart. Lutherum**

**Heinrich <VIII., England, König>**

**Parisiis, 1562**

Epistola Reverendiss. Domini Episcopi Iannis Roffen[is] nuncupatoria  
operis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30233**

EPISTOLA RE-  
VERENDISS. DOMINI  
Episcopi Ioannis Rosseñ. nun-  
cupatoria operis.

Plurimum reuerendo patri & Domi-  
no meo amantissimo Domino  
Eliensi Episcopo.

**R**æterierūt iam anni duo,  
charissime pater, ex quo  
bonam huius libelli par-  
tem legeras, & ita legeras,  
vt eius quod reliquū erat  
perlegendi, magno te sanctè affirmabas  
accensum fuisse desiderio. Quamobrem  
& nec semel per internuncios egisti me-  
cum, vt quamprimum à prælo rediret, ti-  
bi communicaretur. Ego pater hætenus  
emittere distuli, partim ob alia negocia  
quibus eram implicitus, partim quòd nõ-  
nulla spes quibusdam fuerat, Lutherum  
ad saniolem mentem aliquando reditu-  
rum. Nam rumor fuit, eum vnà cum ali-  
quot è sectatoribus eius meditari palino-  
diam, & partem aliquam eorum, quæ male



**E**prius docuerant, recantare velle. Quare  
vt respirandi spacium eis aliquod daretur,  
censui libellū hunc aut omnino sup-  
primendum, si resipiscerent: aut impres-  
sionem eius in tempus aliud comperen-  
dinandam, si non ab erroribus suis in-  
terea desisterent. Cæterum, vt non igno-  
ras, ipsi pergunt in amentia pristina: iam  
longe, quàm pridem fuerant, insaniores  
facti. Nunc enim inter se consensu  
mutuo, sacrorum Bibliorum partitis di-  
stributisque voluminibus, non pudet ea  
commentariis impiis fœdè corrumpere,  
& ad suarum hæresum nullo non loco  
peruersum contorquere sensum. Idque  
faciunt hac arte confisi, se facilè simpli-  
ciorum animis imposituros, quos vident  
sermonis lenocinio citra difficultatē tra-  
hi posse, vt suis pestilentibus erroribus fi-  
dem adhibeant, & syncerum id credant  
esse scripturarum intellectum, quicquid  
ipsi fallaci blandiloquentia sua fuerint  
interpretati. Sed digni profecto sunt qui-  
bus imponatur, qui salutaribus documē-  
tis tot insignium ecclesie catholice pa-  
storum spretis, quorum vitę sanctimonia  
pariter & eruditionis synceritas tot & tā



clarissimis miraculorū indiciiis à deo cō-  
probata fuit: huic fæci hominum, & (vt  
ne quid acerbius dicam.) meris apostatis,  
animas suas credunt. Et quid mirum est, si  
fallatur in hisce rebus vulgus, cui sensus  
in sacris literis parum exercitati sunt, vt  
discernant quid in illorum commentariis  
rectum sit, aut quid erroneum? Nam quā  
fieri poterit, vt imperita plebecula super  
istiusmodi rebus iudicium vnquā sanum  
ferat, in quibus & eruditissimi, nisi pluri-  
mum attenti sint, crebrius hallucinantur.  
Sed hac de re longe pluribus infra capite  
vndecimo disceptaturi sumus. Nunc igitur  
auius (vt spero) fœlicibus prodibit  
hoc opusculū, quod & dominationi tuæ  
dicandum censui, quippe quæ multis no-  
minibus mihi charissima est, non solum  
quòd vt bonum pastorem decet, tua præ-  
sentia diœcesim tuam exornas, & verbo  
dei plebem tuæ fidei cōmissam erudis as-  
fiduè, verum etiam quòd ad hæc certami-  
na fidenter obeunda nos pridem animasti  
plurimum. Adde quòd & à teneris annis  
mihi non parua tecum in scholasticis ex-  
ercitationibus fuerat cōsuetudo. Et quā-  
quam in aliud studij genus, nimirum vt



in legibus erudireris, in quibus & summū  
attigisti fastigium, exercitium tuum com-  
mutaueris, dialecticis tamen & philoso-  
phicis concertationibus vsque adeo cæte-  
ros præcallebas, vt ad hunc vsque diem  
vix quisquam reperiatur tanto ingenij a-  
cumine præditus, qui tibi, quum ingenij  
vires intenderis, non porrigat herbam.  
Tuo igitur iudicio fretus, libellum hunc  
iam tandem edidimus, & tuæ paternitati  
nuncupauimus vt posteritati futurum sit  
amoris erga te nostri perpetuum testimo-  
nium. Bene valebis Charissime pater ex  
Rossa, per eiusdem tuę paternitatis aman-  
tissimum.